

## 1. † R. P. Sinon Grogan (1857-1936)

Sinon Grogan, natus in urbe Quebec 23 Febr. 1857, mortuus in osculo Domini Toronti in nosocomio S. Michaël 22 Sept. 1936, fuit primus Redemptorista Canadensis idiomatis anglici sacerdotio auctus (4 Aug. 1888), primus Procurator novae Provinciae, primus eiusdem sodalis qui 50 annos professionis compleverit (2 Aug. 1934), et in obitu erat huius Provinciae senior, utpote annum tunc agens octogesimum. Id quoque notatu dignum, quod P. Grogan charisma infirmos ope benedictionis sacerdotalis sanandi habuisse creditur; saltem undique aegrotantes ad eum conducebantur, et multae sanationes eius interventui attribuebantur.

Non erat magnus missionarius; potius domi addictus ministerio interno. Per multos annos in ecclesia Torontina S. Patritii studiose moderabatur servitia in Matris de P. S. honorem. In eo eminebat spiritus orationis et observantiae regularis, diligentia in omni opere bene exsequendo, mentis serenitas, evangelica simplicitas, amor proximi, praesertim infirmorum. Pridie suum obitum tranquille dixit: « Cras domum ibo », et sic sine ulla agonia, praesentibus quattuor confratribus et fratris filio R. D. Roberto Grogan C. M., ivit in domum aeternitatis suae, eamque sine dubio perpulchram.